

Dissertatio medica inauguralis de aphthis ... / submittit Joannes Kneppelhout.

Contributors

Kneppelhout, Joannes.
Honert, Taco Hajo van den, 1666-1740.

Publication/Creation

Lugduni Batavorum : Apud Johannem van Abkoude, 1733.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/b63jsdsb>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO
MEDICA INAUGURALIS
DE

A P H T H I S.

QUAM,
ANNUENTE DEO TER. OPT. MAX.

Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,

D. TAC. HAJ. VAN DEN HONERT

S.S. THEOLOGIÆ DOCTORIS; EJUSDEMQUE FA-
CULTATIS UT ET ANTIQ. JUDAIC. IN ACA-
DEMIA LUGDUNO-BATAVA PROFES-
SORIS ORDINARIJ.

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,

Et Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis
ritè ac legitimè consequendis,

Publico Et solemnij Examini submittit.

JOANNES KNEPPELHOUT, Schiedamo Batav.

Ad diem 23. Januarii 1733. Hora locoque solitis.



LUGDUNI BATAVORUM
Apud JOHANNEM VAN ABKOUDE, 1733.

DISSERTATIO
MEDICA INAUGURALIS
DE

A. P. H. T. H. I. S.

Q. U. A. M.
ANNUENTE DEO TER. OPT. MAX.
A. M. A. C. A. D. E. M. I. C. I. S. S. C. I. A. E. M. E. D. I. C. A. E.

D. T. A. C. H. A. J. VAN DEN HONERT.
S. S. T. I. C. I. O. S. I. E. D. O. C. T. O. R. I. S. ; E. I. U. S. D. E. M. O. U. E. F. A.
C. U. L. T. A. T. I. S. U. T. E. T. A. N. T. I. O. J. U. D. A. I. C. I. N. A. C. A.
D. E. M. I. A. L. U. C. C. I. N. O. - B. A. T. A. V. A. P. R. O. F. E. S.
S. O. R. I. S. O. R. D. I. N. A. R. I. I.

R. E. C. N. O. N.
A. M. A. C. A. D. E. M. I. C. I. S. S. C. I. A. E. M. E. D. I. C. A. E.
P. R. O. G. R. A. D. U. D. O. C. T. O. R. A. T. U. S.
S. U. M. M. I. S. S. I. O. N. I. S. A. L. I. S. T. R. O. N. O. M. I. N. I. S. & P. R. I. V. I. L. E. G. I. I. S.
I. N. A. C. A. D. E. M. I. A. L. U. C. C. I. N. O. - B. A. T. A. V. A. P. R. O. F. E. S.
S. O. R. I. S. O. R. D. I. N. A. R. I. I.

JOHANNES KNIPPELHOUT, Schiedamschen Dijk.

A. M. A. C. A. D. E. M. I. C. I. S. S. C. I. A. E. M. E. D. I. C. A. E.



A. M. A. C. A. D. E. M. I. C. I. S. S. C. I. A. E. M. E. D. I. C. A. E.
A. M. A. C. A. D. E. M. I. C. I. S. S. C. I. A. E. M. E. D. I. C. A. E.

ERUDITISSIMO & CELEBER-
RIMO VIRO

WILHELMO VINK,
MEDICINÆ DOCTORI, ET PRACTICO,
QUO GAUDENT ROTTERODA-
MENSES , FELICISSIMO ET FAMO-
SISSIMO, ANATOMES ET CHIRUR-
GIÆ LECTORI DEXTERRIMO.

STUDIORUM SUORUM FUNDATORI OPTIMO,
FAUTORI ET PROMOTORI
INDEFESSO.

*Hasce suorum studiorum primi-
tias , in animi grati
pignus offert*

JOANNES KNEPPELHOUT.

ERUDITISSIMO & CELEBRE-
RIMO VIRO

WILHELMO VINK,

MEDICINAE DOCTORI, ET PRACTICO,
CUI GAUDENT ROTTERODA-
MENSES, FELICISSIMO ET FAMO-
SISIMO, ANATOMES ET CHIRUR-
GICAE LECTORI DEXTERRIMO.

STUDIORUM SUORUM FUNDATORI OPTIMO,
FAVITORI ET PROMOTORI
INDESSO.

Haec Joannes Nieperhout
in animi gratia
pignus offert

JOANNES NIEPERHOUT.



DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
A P H T H I S.

§. I.

Morbi nomen, Definitio, & sedes.



Ῥαῖ Latinis *Lactucimen*, Belgis de *Sprouw*, videntur commode derivari ab ἀπλεσθαι, hoc est incendi, licet hinc viderentur omnia, quæ a partium ardore prodeunt, dici posse Aphthas; & hoc nomen a priscis Medicinæ Cultoribus, variis partibus laborantibus fuerit datum, ast hisce temporibus usu venit illo nomine stricte insignire hunc morbum, de quo animus est breviter differere.

§. II.

Aphæ Passim in scriptis Medicorum definiuntur esse parva, rotunda, superficiaria ulcuscula os internum occupantia;

quamvis revera potius appareant, tubercula, vel pustulæ non diu post illarum ortum squamosæ, atquæ sic rite distinguuntur a fordibus oris, quæ sunt 1º. pelliculæ hirsutæ versicoloris, labia & os internum occupantes, sæpe apparentes in morbis acutis primo albæ, dein cineritiæ, tandem fuscæ, nigrae habentes suam sedem in fistulis ampullularum, & fistulis villosis arteriosis obstructis materia quadam exusta, quæ est materia impetu circuitus humorum magno deposita, & exsiccata; hæ tandem vera necrosi decidunt, 2º. materia mucosa, spissa, aëre exsiccata.

Aphthas has si quis accurate examinat, videntur esse emissariorum ultimorum, in os liquidum salivolum, mucosum, effundentium obstructions eminentes, factæ ex obturatione illorum canalium extremorum, per humorem viscidum eo delatum.

§. III.

Præter glandulas Parotides, quæ salivam secretam per ductus suos proprios, circa dentem tertium molarem superiorem dimittunt in os; præterque glandulas Intermaxillares quæ sua emissaria ad anteriora emittunt, circa frænum linguæ; & præter glandulas sublinguales Rivinianas, vel Bartholinianas similibus osculis patentes sub lingua vel hiantes in ductibus glandularum Intermaxillarium, præter hos sex fontes salivosos, in lingua, palato, gingivis, labiis habentur emissaria exigua, humorem longe tenuiorem, sed salivæ simillimum exstillantia, videantur magni illius luminis, hujus seculi CL. H. BOERHAAVE Professoris & Præceptoris mei venerandi *Institut. Medic.* §. 65. n. 4.

Sed & præter hæc emissaria, palatum anterius, sed maxime palatum mobile, uvula, tonsillæ, pharynx, habent cryptas multas glandulosas materiam mucosam fundentes, ut Schneyderus, Valsalva, Nuckius docent.

In his Emissariis arteriosis & mucosis habetur sedes Aphtharum, nam microscopiorum acies attente Examinanti detegit

git Aphthas esse squammulas elevatas, sub quibus innumera vascula occluduntur, dum interim vis vitæ urgens, Epithelion, elevat, & glomer exiguum format, præterea Aphthis jam jam prodituris frequens est videre, os multo esse aridius, & si eæ copiosissimæ erunt, sæpe os plus siccum observatur, indicio evidenti emissaria dicta esse obstructa, atque hinc elucescit unicam & simplicissimam talem pustulam consideratam esse unicum emissarium vasculi salivosi, vel mucosi obstructum; simul quoque intelligimus quod si millena emissaria talia sibi contigua, eodem tempore obsideantur, Aphthas tum necessario quasi confluentes mutari in sua facie, & extendi in Crustam.

Ex horum emissariorum consideratione facile apparet, Aphthas non semper contineri in arctis oris interni limitibus, sed eas quandoque obsidere alias nostræ machinæ partes, ubi utraque species talium emissariorum habetur, vel & ubi duntaxat una harum species occurrit, imo & observationes hoc docent; Aphthas enim occupare labia, omnesque oris interni partes, quales sunt, gingivæ, genæ internæ, lingua, palatum, fauces, tonsillæ, uvula nemo negabit qui plus simplici vice, oculis attente lustraverit os internum ægrotantis obsessum Aphthis copiosioribus, sed & eas sævire in Æsophago, Ventriculo, Intestinis præsertim tenuibus, aspera arteria, eventus docet; quippe post illarum lapsum sæpe tanta copia scretu, quandoque vomitu rejiciuntur, quandoque Catharsi excluduntur, ut aliquis hoc videns certo in admirationem rapiatur, multitudo earum sæpe enim tanta est, ut aliquot pelves eas vix capiant *Vid. Vinc. Ketelaer comment.*, neque hoc adeo mirum videatur, quippe Anatomici in Æsophago, Ventriculo, Intestinis numerosa talia emissaria ut supra descripsimus demonstrant.

Neque duntaxat eventus has demonstrat, sed & inspectio Cadaverum illas ad oculos exponit, memini enim CL. H. OOSTERDYK-SCHAGT *Professorem & Præceptorem meum maxime venerandum, & non sine gloriosa Præfatione nominandum,*

nandum, de Aphthis in exercitationibus practicis docentem retulisse, se anno hujus seculi sexto propriis oculis lustrasse & plurimis adstantibus demonstrasse in Cadavere feminæ Phthisi emaciatae, in Hepatis, Lienis gibba parte, hinc inde in Mesenterio, in toto fere Intestinatorum tenuium tractu, Aphthas compactas & lubricas ex albo non nihil flavescentes, illis quæ in lingua, genis internis, faucibus sæpe observantur prorsus similes, præterea idem ille Celeb. Vir anno hujus seculi septimo in Cadavere Ictერი eas albicantes, & non nihil dispersas denuo in Hepate, Liene, & Intestinis, insuper & in superficie Renum, Vesicæ Urinariæ pluribus præsentibus videndas exhibuit.

§. IV.

Causæ Aphtharum antecedentes.

Hæ sunt Proægumenæ & Procatacticæ.
Causæ antecedentes Proægumenæ sunt 1°. humorum Cachymia in territorio Circulationis, 2°. Collectiones humorum spissorum degenerascentium in locis nostri corporis singularibus 3°. Concurrentia causarum dictarum. Hasce mihi proposui distinctiones ut ordo quidam in descriptione morbi hujus intricati esset, quamvis certum est has distinctiones non semper existere unam sine altera.

α. Ad classem primam harum refero illam humorum visciditatem senibus adeo frequentem, in his enim longo & diuturno multorum annorum circuitu humorum, omni ictu cordis, latera canalium magna vi ad se invicem comprimuntur, adeo ut vascula minima ex quibus vasa majora contexta sunt comprimantur, & latera illorum interna sibi applicentur, accrescant & occallescant; sicque elementa magis magisque sibi invicem adjungantur, oritur hinc rigiditas vasorum, quæ causa est quod vasa in Diastole non rite dilatentur, neque dilatatione prægressa rite contrahantur, ergo una causa sanguinem propellens imminuitur, indeque humorum circuitus minor & tardior, hinc actio humorum minor in vasa, & vasorum

rum vicissim in eosdem, quod pro effectu habet assimulationem humorum imperfectam, & depravatam, & *χυλοποιεσιν* vitiatam, hinc & *αἱματοποιεσιν* minus vegetam, pariter & *πνεῦματοποιεσιν*, hisce si tum addas quod in *ἐγκέφαλῳ* minima vascula eadem causa occludantur, patebit minorem & minus validam esse spirituum secretionem, & consequenter eorum minorem applicationem ad organa motoria; languida hæc ergo his binis de causis vis vitæ humores non debito modo assimulat, hinc sanguis indeque secreti humores lenti, visceri, quæ visciditas assidue augetur a defectu motus.

β. Ad hanc classem referenda quoque Cacochymia illa, originem debens vasis & visceribus nimis laxis & debilibus & imminutioni motus animalis, inde actio humorum in vasa, & reactio vasorum in hos habentur imminutæ, adeoque humorum circuitus est minor & tardior, hinc humores sunt minus compacti & solidi, sed facile secedentes in vasa lateralialia, visceri ex mora in iisdem.

γ. Ad eandem hanc classem pariter pertinet, illa humorum Cacochymia, quæ in febribus continuis, sed præsertim putridis observatur, in his enim vascula cutanea, & consequenter vascula aliarum partium simillima oppilantur, indicio materiam quandam viscidam in sanguine delitescere, in his febribus aliquando humorum motus cernitur adeo velox, ut arietent maxime in vasa conica, dum interim vasa valide renituntur in hos, hinc particularum validus attritus inter sese, intenditur gradus caloris, dum omnes secretiones augentur ad illa organa ubi vasa sunt aperta, fit sanguinis exsiccatio ex particularum aquosarum consumptione, humores ergo magis magisque disponuntur ad concretionem, dum interim motu aucto vasa sensim ampliantur, & recipiunt materiam illam obstruentem, quæ mora & compressione sensim privatur particulis subtilioribus, hinc nascitur materia magis viscida quasi putrida, quasi emissaria §. 3. infarciuntur, pressione liquidorum a tergo urgentium attolluntur in tubercula rotunda, parva, tandem squammosa, quæ hic nomine Aphtharum veniunt.

§. Huc etiam referendæ sunt Febres Intermittentes continuæ factæ, Intermittentium & imprimis autumnalium materia est segnior, lentior, & sæpenumero in his adest primarum viarum infarctus saburrâ quadam viscida, qua de causa hæ febres tanquam Aphtharum causæ Antecedentes essent referendæ ad classem secundam causarum quæ ponit collectiones humorum spissorum degenerascentium in locis nostri corporis singularibus, sed quatenus hæ Intermittentes considerantur ut jam mutatæ in continuas, videntur referendæ ad hanc classem primam; dictæ illæ febres si in initio invasionis ubi materia nondum est temperata, vel diluta vexentur remediis & regimine calidissimis, stimulantibus validis, funditur quasi illarum materia & impetu quodam facto ruit in sanguinem, ibique motu exaltatur, & acuitur, stimulando, obstruendo facit febrem continuam, & producit similes effectus modo memoratos.

Ex hac prima causarum antecedentium classe evidenter patet, Aphthas sæpe esse pedissequas morborum ortorum ex imminuta & aucta circulatione, ergo sunt sæpe consequentiæ morborum Chronicorum & acutorum, simulque videmus nullam ætatem esse immunem ab illo morbo.

Ad secundam classem causarum antecedentium quæ ponit collectionem humorum spissorum degenerascentium in locis nostri corporis singularibus perventum ergo est: CL. SYDENHAMUS observat materiam quandam Dysentericam in primis viis collectam Aphtharum causam antecedentem, si illi materiæ exitus denegetur, per medicamenta adstringentia calida, tum adstrictis sic vasis vis vitæ urget in materiam retentam in emissariis, antea effluere solitam in Intestina, 2º. illa materia contenta in primis viis quasi putrefacta ob exitum denegatum rapitur in sanguinem, cum eo circulum absolvit, pellitur ad emissaria §. 3. ea obstruit dum mora, stagnatione fit lentior, ibi est Aphtharum causa; notat ille reverendus Practicus, purgatione in initio data, atque aliquando repetita, præcaveri posse Aphtharum ortum, evidenti signo,

figno, materiam illam esse collectam in primis viis.

Neque sola collectio materiæ Dysentericæ, sed & aliæ Ventriculi, & intestinorum impuritates, causæ antecedentes hujus morbi esse consuevere, frequens enim est videre ructus, flatus, nauseas, appetitus prostrationes præcedere hunc morbum, docentes, talem materiæ viscidæ præsentiam; hæ collectiones si non tempestive evacuentur tandem tractu temporis vehuntur in sanguinem, cum eodem circumeunt, attenuantur adeo ut subire possint emissaria §. 3. non vero per eadem transfluentes morantur, incrassantur, dum interim febris majori, minorive oborta magis in eadem adiguntur, ibique in Aphthas abeunt, hinc videmus quare infantibus & pueris Lumbricis laborantibus hic morbus frequens est, hi enim lumbrici observantur nidulari in illorum primis viis obsessis materia quadam viscida putredinem quasi contrahente ex longa mora, calore, tepore; illa enim si materia in sanguinem rapiatur, & in dicta emissaria §. 3. pellatur Aphthas non raro sequi, quis non videt?

Similes Aphtharum causæ antecedentes sæpe sunt Phthisis, & Hydrops inveteratæ, modo adsit viscerum corruptela, itaque & tales sunt Pleuritis, Hepatitis, Intestinorum inflammationes non resolutæ, in his enim morbis sanguinis partes aquosæ sunt consumptæ, (velut in Hydrope collectæ in locis in quibus naturaliter liquida illa non habentur,) remanentibus crassioribus, quæ permeare valent vascula paulo majora, illi humores spissiores si vi febris auctæ impellantur in dicta emissaria, ea infarciunt, obstruunt, dum interim humorum velocius motorum impulsu, obturationes illæ attolluntur in Aphthas.

Tertia Classis causarum antecedentium est, quæ continet complicationem causarum dictarum. Huncce concursum causarum videmus in Aphthis illis quæ oriuntur post Icterus inveteratum Ex. gr. ex obturatione ductus communis per calculum, vel aliam causam, in hoc enim morbo massa biliosa impeditur transire in Intestinum Duodenum, moratur & extendit porum Biliarium & ductum communem, acrimoniam

quandam sibi contrahit, regurgitat in Venam Cavam, ex hac venit in cordis ventriculum dextrum, transiens per pulmones venit in cordis ventriculum sinistrum, ex hoc pellitur in Aortam, bilis illa tum commixta cum sanguine ejus crasim vitiat, inducendo putredinem incipientem, illaque materia viscida, acris, stimulans & obstruens vasa producit febrem continuam, tumque ex motu velociore sanguinis diffillantur aquosa tenuia, quippe sanguis solvitur a bile cum eodem circulante, remanentibus crassioribus, quæ protrusa ad emissaria §. 3. ea obturant & obstruunt, dum interim appulsu humorum a tergo prementium illæ vasorum obturationes attolluntur in Aphthas; in eodem hoc morbo bilis non profluens in Intestinum Duodenum, Chylum ex ventriculo emissum & expulsum non attenuat, oritur cruditas & chylus nimis cohærens, hinc tantum tenuior pars chyli nimis cohærentis recepta in vasa Lactea ad sanguinem fertur, dum interim crassior chyli pars sua glutinositate vascula hiantia in cavo intestinorum obturat, huic accedit quod bile deficiente in primis viis causa detergens mucum oblinientem desit, hinc copia muci augetur, & tenacior redditur, sicque altera causa prædisponens Aphtharum in primis viis existit.

Visis itaque Causis proægumenis, restat causas videamus procatarcticas; quæ nocent solis prædispositis ut morbus fiat. Inter *Ingesta* culpandus venit cibus viscidus ex nimis farinosis non fermentatis, aut ex partibus gelatinosis animalium ut ex Lacte, Caseo; usu enim copiosiore horum, oriuntur cruditates in primis viis viscosæ, quæ in sanguinem allatæ, viscosis iterum unitis particulis, Aphtharum causa esse possunt, imo & cibi acidi austeri acerbi, quales sunt fructus horæi paulo immaturiore hic quoque contribuere valent, nam tales cibi adstringunt, incrassant, coagulant, hinc & Aphtharum causæ quandoque sunt.

Gesta, motus musculorum nimius culpandus quatenus auget motum humorum, & partes sanguinis aquosas dissipat, & sic causa
febris

febris continuæ fit. *Quies*, nimia musculorum quiete, humorum motus insigniter minuitur, unde illorum actio in vasa, & vasorum in illos minuitur, hinc humores fiunt nimis soluti, lenti. *Animi affectus*, hi cum multorum & variorum morborum sæpe causæ sunt, quoque hujus morbi causa esse possunt, sic aliquando homo alacris sanissimus ad omnes actiones homini proprias obeundas idoneus terrore percellitur, persentit cordis palpitationem, lassitudinem membrorum, sibi statim venam secari curat, sequenti die os illius scatet Aphthis sibi adhærentibus, sine febre notabili prægressa vel concomitante.

Inter *Retenta*, sic a lochiis suppressis hic morbus ortus fuit, hæc enim dum retinentur Plethoram faciunt, & sanguis tum stagnando ad vasa uterina acrimoniam quandam contrahens febris continuæ causa est, hæc dissipatis liquidioribus si crassiora determinantur ad emissaria §. 3. quis non videt Aphtharum ortum sequi?

Excreta, ut sunt magnæ evacuationes, hæmorrhagiæ, quæ liquidioribus particulis sanguinem privant, vel sanguinis boni defectum in corpore faciunt, hinc oritur debilitas vasorum & viscerum, quæ quomodo Aphtharum causa est videatur §. 4.

Inter *applicata*. Aër frigidus gelidus, frigidus imbrofus meatus & poros claudens, insensibilem perspirationem, adeo necessariam ad sanitatem magnopore impedit vel imminuit, ergo copia vel omnis vel ejus magna pars, excernenda nostro de corpore retinetur, plenitudinis vasorum causa est, dum interim perspiranda materia acris fiat, & febrem continuam inducat, quæ qualiter Aphtharum causa fiat explicavimus §. 4. Huc faciunt & aëris mutationes subitaneæ ex calore majore in frigoris gradum auctum, quibus mutationibus nostra Plaga & Regio maxime est obnoxia, videntur quoque esse causa frequentiae Aphtharum gentibus Borealibus.

§. V.

Ex causis proægumenis, & procatarcticis videmus causam Aphtharum materialem esse materiam quandam viscidam in sanguine generatam vel delatam, cum eodem circulantem, dein ab eo separatam, & depositam ad emissaria §. 3. plerumque cum febre, imo quod rarius absque notabili febre antecedente vel conjuncta, quæ autem materia deposita ad dicta emissaria, eadem obstruit, dum interim magis magisque adigitur & elevatur in apices conspicuas vi humorum a tergo urgentium.

§. VI.

Visis itaque causis antecedentibus, & materiali causa superest ut videamus quid fiat ante eruptionem Aphtharum. Oritur *Anxietas* circa præcordia, imo & in Aphtharum leuissima specie, nam præter impuritates primarum viarum sæpe præsentibus, has præ sua mole prementes, flatus & ructus sæpe gignentibus, ventriculum distendentes, ora ejus claudentes, Diaphragma sursum prementes, hinc motui pulmonum resistentes, febris plerumque adest, quæ materiam ad Aphthas dispositam in arteriolas pulmonum minores pellit & leviter obstruit, & materiam illam in Aortæ systemate præsentem urget in vascula minora & emissaria, quæ massa ubi jam inceperit obstruere emissaria urgetur ab humoribus a tergo appellentibus, & sic oritur resistentia Cordi ex causis dictis, quæ anxietatis sensum facit.

Sed & supervenit *Stupor & somnolentia*; nam materia, quæ in Aphthas est mutanda, delitescens in sanguine, cum eo circulum absolvens, pellitur quoque ad vascula Piæ Matris, ibique impedit transitum humorum naturaliter per ea transfluentium, hinc minuitur secretio Spirituum, quorum imminutio causa stuporis & somnolentiæ est.

Adest sæpe *pondus circa stomachum*, hoc est ad orificium ventriculi superius & sinistrum, numerosis nervis instructum, cum jam vi febris per materiam recipiendam in emissaria §. 3. imo

imo jam jam adauctam, oriuntur obstructions, vascula sensim ampliantur, elongantur, simul & nervuli adjacentes leviter comprimuntur, hinc sensus ponderis; eodem illo tempore ubi febris adest, & determinatio fit, sæpe in ore interno deprehenduntur signa leviora inflammationis, ut ardor, rubedo aucta, tensio, quæ eo sunt graviora, quo Aphthæ instantes erunt acutiores & graviores; paulo post in conspectum veniunt tubercula eminentia, solitaria, distincta, vel demum ex magna copia quasi confluentia, tuncque Aphthæ adesse dicuntur; partem vero oris, quam prius afficiunt, nemo determinare potest, quandoque enim junctis viribus simul oriuntur, sæpe ad angulos labiorum prius apparent, aliquando vero prius uvulam obsident, vel Genas internas, vel fauces, imo frequenter ex imis faucibus sursum adscendunt.

Aphthæ hæ ubi jam se visui sistunt, hæcce sibi vel quædam horum conjuncta habent, febris si Aphthæ ominis boni fuerint insigniter minuitur, Aphthæ obsidentes apices nervorum linguæ imminuunt gustum plus vel minus, prout earum copia & densitas est major; imo ubi copiosissimæ sunt & quasi in crustam confluentes, omnino saporem abolent, imo obturantes emissaria §. 3. in causa sunt, quod liquor salivofus & mucosus humectans & lubricans non debita copia, vel omnino non in os effundatur, unde os internum, vel & fauces siccæ sunt unde non raro deglutitio molesta est, sique Æsophagus, Ventriculus, Intestina, eadem labe Aphthosa afficiantur, eadem siccitas in his obtinet, hinc tum appetitus pro magna parte imminuitur, vel totus prostratur, & quia venæ resorbentes similiter crustulis Aphtharum obteguntur illarum quoque actio impeditur, sed & venæ Lactææ ad sua initia hærentes inter arteriolas obstructas similiter obteguntur, & comprimuntur a vi humorum a tergo urgentium extendente, hinc chyli introitus impeditur, & sanguis novo chylo non reficitur, neque nutritio fit, hinc oritur debilitas, & tandem si non succurratur, mors; interim si Aphthæ exsiccantur, solvuntur & per squammulas si solitariae, vel discretæ fuerint, decidunt;

cidunt ; ubi vero in crustosam expansionem coivere tum crusta illa prius varie finditur , solvitur & per partes cadit.

Aphthis itaque deciduis , ubi paulo graviores fuere hæc vel quædam horum subsequuntur ; partes illæ oris quæ obsessæ fuere , jam privatione membranæ os internum succingentis acutissime sentiunt , quia nervi nudi hærent , & si forte *Æsophagus*, *Ventriculus*, & *Intestina* obsessa fuerint similiter , acutus sensus quoque ibi habetur , adeo ut non raro singultus eveniat ; emissaria illa arteriosa ubi in morbi decursu fuere dilatata , non raro salivatio sequi solet , & si magnopere dilatata fuerint sanguis ruber sæpe pleno saltu exsilit , ubi vero emissaria *Æsophagi*, *Ventriculi*, *Intestinorum*, emissarii *Pancreatis*, *Hepatis*, similiter sunt dilatata frequens est videre *Diarrhæam* , vel *Dysenteriam* cruentam ; pro variis functionibus læsis , varia Aphthis subsequuntur , quæ si omnia hic apponerentur limites speciminis hujus nimis excresserent , nos vero , brevitati studentes , pro exemplo addimus Aphthas aliquando adeo copiosas esse ut in crustam satis crassam adunentur , qua non solum perspiratio impeditur sed ulcera fæda oriuntur sub crusta sed & partes subjectæ obstructis adeo vasculis privantur affluxu & refluxu humorum unde non raro gangræna subsequi potest in ore , quæ si fiat in parte palati stabilis ex ossibus subjectis consumpto coriaceo illo integumento os dénudatur , cadit ; imo & Gangræna oritur inde in primis viis ; Aphthæ obsidentes magno numero membranam internam *Laryngis* eam destruunt , consumunt , hinc *Larynx* interne non humectatur neque muco naturali oblitur , hinc ex ficcitate , & ariditate illius oritur raucedo sive vox clangosa per totam continuans vitam.

§ VII.

Aphtharum variae Species.

Ut morbi omnes ejusdem generis differunt magnopere inter se ratione magnitudinis, durationis, periculi; sic se res quoque habet in hoc morbo, ideoque differentiae primariae memorandae sunt, & 1°. quidem differunt Aphthae, quod aliae, aliis sunt copiosiores, unde quaedam sunt discretæ, quaedam vero ex magna densitate confluentes.

2°. Differunt quod quaedam obsident oris partem, vel quasdam partes, aliae totum os internum, & fauces supremas, aliae os internum, fauces sæpe & Æsophagum, Venter, Intestina præsertim tenuia, vel simul alias corporis partes, ut Hepar, Lienem, Mesenterium, Renes, vel quasdam ex dictis.

3°. Differentia desumitur a loco quo prius oriuntur, & modo quo progrediuntur, aliae oriuntur prius ex lingua, vel palato, uvula, cum magna inconstantia loci prius affecti, aliae junctis quasi viribus prodeunt, aliae ex ore interno ortum primum habent, aliae vero prius oriuntur, ex imis faucibus adscendendo.

4°. Differunt ratione Coloris; quaedam enim sunt albæ pelluentes quasi, referentes fere colorem margaritarum; aliae vero coloris albi sinceri, ex magna densitate; sed & aliae sunt fuscæ, flavæ, lividæ, imo quandoque quod rarius nigræ.

5°. Aliae aliis ex magna tenacitate diutius perstant, & illæ quæ diutius adhærere consueverunt sunt coloris sinceri albi.

6°. Quedam non aut saltem raro renascuntur, tales sunt albæ pelluentes coloris margaritæ, superficialiæ plerumque tantummodo os internum obsidentes; quaedam vero tarde, quaedam citius redire solent, inter has quæ citius renascuntur primariae sunt albæ opacæ ex magna densitate.

§. VIII.

Aphtharum Prognosis.

Ut de eventu harum quid certi Medicus prædicere valeat, serio illi est attendendum, an Aphtharum eruptio levamen attulerit ægro, observandæ quoque sunt illarum differentiæ, & effectus, imo animus advortendus est ad genium morbi conjuncti, ad symptomata, ætatem, sexumque;

Aphthas igitur dupliciter consideramus 1°. quatenus sunt mitioris indolis & hinc boni præ sagii; 2°. quatenus sunt malæ indolis hincque tristis præ sagii.

Bonæ indolis bonique præ sagii sunt illæ, quæ non gravibus consequentiis affligunt, sed potius ægrum a morbo liberant vel levant, atque hæ Criticæ dici merentur; tales esse novimus si fuerint albæ quasi pelluentes, tenues, molles, sparsæ, superficiariæ, os internum vel alias simul quasdam partes obsidentes, illæ enim nil mali post se relinquere solent, nam color illarum albus pellucidus ponit materiam illarum saivosam, mucosam, non multum degeneratam, tenuitas docet illas non esse ortas cum violentissimo humorum motu, quod & mollities quoque docere videtur, & quia sparsæ sunt, functiones non insigniter lædunt neque abolent, & quum superficiariæ sunt nec diu nec pertinaciter adhærent, sed cito & facile decidunt, quamvis tempus lapsus illarum non facile determinari potest, dictæ illæ Aphthæ raro renasci solent, sique renascantur semper redeunt minori copia, licet hæ Aphthæ ex indole sua mitiore boni sint præ sagii, attamen semper considerata sunt symptomata morbi conjuncti, frequens enim est videre Practicis ægros interire, etiam si Aphthæ boni indolis observabantur, sed tum causa mortis non Aphthis, sed conjuncto morbo vel ejus Symptomatibus debetur; itaque Medicus in bono præ sagio hujus morbi prodigus non sit, ne in ludibrium Ars Medica & ejus fama eant.

Malæ indolis tristisque præfagii imo symptomaticæ sunt albæ opacæ, confluentes lardicoloris, duræ, tenaces, profundæ, assiduo resectæ, quæ sæpe solent sursum ex imis adscendere faucibus probabiliter ex Æsophago, vel Ventriculo demum se in ore visui sistere, partes obsessas ut plurimum omni functione privare, copiamque materiæ ingentem denotare, siquidem rarissime ex his resurgant miseri afflicti, attamen pejoris præfagii sunt fuscæ, flavæ, lividæ, nigræ quarum malignitas pari ordine, ac hic describuntur, procedit, quæ eo periculosiores in genere sunt, quo copiosiores adsunt, & plures partes obsident, & functiones lædunt, & abolent, docent enim humores insigniter vitiatos, putredinem, gangrænam, unde hæc fere instantis sunt mortis prænunciæ.

Genius morbi conjuncti est observandus, nam Aphthæ illæ quæ oriuntur in morbis in quibus corruptela viscerum & humorum adest, ut in fine phthisis pulmonalis inveteratæ mali sunt præfagii imo ut plurimum certo lethales, idem obtinet sub finem gravioris Peripneumoniæ, Hepatitidis si similis corruptela juncta est, & Hydropis inveteratæ, ubi & serum aquosum mora, calore, putrescere incepit, sic & in fine febris Dysentericæ (non ita cum tenore) ubi materia morbifica deposita ad primas vias opportuno tempore non evacuata fuit, sed in sanguinem migravit, unde Aphthæ ortæ sunt quæ fere instantis mortis indicia sunt, ut notat Cl: Sydenhamus.

Ætas quoque consideranda venit; ubi enim oriantur hominibus Ætate provectis ex causa §. 4 l. æ clamant vires vitæ effetas, hinc summe periculosæ.

Sed & sexus quoque considerandus est, mulieri enim gravidæ, si oriantur Aphthæ paulo graviores, morbus boni præfagii esse non potest, nam abortus metuendus est; probabile enim videtur vascula uterina simillima emissariis arteriosis §. 3. descriptis, & vascula Chorii arteriosa, sæpe materia aphthosa esse obfessa, & hinc humores debita copia non ferri ad Embryonem, dum interim vascula illa obstructa lacerantur; præterea Aphthæ aliquando magna copia obsidentes venas resorben-

bentes, & venas lacteas, ingressus Chylo negatur, hinc sanguis non reficitur, nutritio magnopere vitiatur, unde mater gravida non resecta sufficiens nutrimentum Embryoni suppeditare nequit, dum interim sanguis non resectus acrimoniam contrahens febrem continuam facit, cujus impetu solvuntur vascula illa per quæ humores feruntur, ad Embryonem, & oritur abortus.

§. IX.

Aphtharum Curatio.

Aphthæ ubi paulo graviores sunt (enim omnium levissimæ vix multum remedii requirunt, sibi nam in his natura sufficit) exigunt cautelam insignem, ne in morbos alios graves mutantur.

Varia variis temporibus contra hunc morbum fuere excogitata & applicata, quorum multa ob finistrum effectum in hoc morbo hodiernis temporibus nomine Aphtharum insignito, sunt rejecta, imo nec defuere qui pannis rudioribus, & plagis eburneis crustam Aphthosam abradere vel elevare conati sunt, quæ encheiresis nullum alium habuit effectum quam provocatas hæmorrhagias, inflammationes dolentissimas, ulcera.

Hisce vero temporibus fortunatiori cum successu illarum curatio absolvitur, animum advertendo ad quinque Indicationes, iisque satisfaciendo, prima quarum in eo consistit, ut humorum vitalium impulsus in partes excitetur, temperetur, ut supeditato liquido inferne ad resolutionem, laxationem, lapsum disponantur; excitandus enim est impulsus humorum vitalium ubi eorum motus languet, ne languido illo motu Aphthæ impediantur ultra erumpere, & ne materia illarum detineatur in sanguine & forte graviores producat morbos, ex ejus depositione ad partes nobiliores, sed ut lapsus illarum acceleretur; sed ubi motus humorum est nimis velox, tem-

temperandus est, ne humores reliqui particulis suis liquidioribus priventur, neque gangræna sub Aphthis oriatur.

Indicationi huic primæ satisfaciunt, aquosa multa, calida diluentia, resolventia, abstergentia epota; tales sunt decoctiones, vel emulsiones *avenæ, hordei, amygdal: dulc. excorticat; pistachi., sem. quatuor frigid. major. & minor., decoctiones herb. parietar. alchymil., flor. sambuc., papav. erratic., violar., Rad. scorsoner., sisar. Germanor., Glycirrh., Gramin., Chinæ, Salseparill. Bulbor. Raparum* quibus addi potest *sal. prunell. sal. Polychrest, nitrum, mel.*; Observando quod ubi plus est diluendum *aquæ* copia est augenda, ubi plus est resolvendum ibi imprimis *Nitrum & mel* majori copia danda, & quo plus est abstergendum eo plus *mellis* est addendum ex dictis sumantur pro necessitate, ut calida usurpentur, omne enim frigus cane pejus & angue hic fugiendum, nam impedit ulteriorem determinationem materiæ Aphtharum ad hæc emissaria, Aphthas constringit unde aliquando se subducere videntur, arctantur vascula, oritur calor, tumorque inflammatorius.

Attamen sæpe contingit ut vidimus §. 3. numerosam Aphtharum non solummodo os internum, sed *Æsophagum, Ventriculum, Intestina* obsidentium esse adeo copiam, ut venæ resorbentes, venæ Lactææ vix aliquid vel omnino nihil transmittant, & hinc cibo, potui, medicamentis ingressus negetur; in tali casu non est acquiescendum in iis quæ per os assumuntur sed corpus est nutriendum, medicamentis idoneis ingressus parandus per venas bibulas externi corporis, itaque ex prædictis fieri possunt Balnea, & fomenta calida diluentia, resolventia, abstergentia, simul & nutrientia, qua de causa non inconveniens erit addere his serum Lactis imo ex iisdem Enemata aliquoties injiciantur ope Clysteris. Cæterum ubi cibi assumi possunt, optimi sunt tenues, diluti, non multa subactione indigentes, tales sunt decocta *panis avenæ, cum aqua & sero Lactis; vel emulsiones Amygdalar: dulc. &c.* sed quoniam hi cibi quandam inertiam secum habent, & actiones viscerum Chylopojeticorum immaniter immi-

nutæ deprehenduntur, conveniet addere his aliquid *Vini* vel *Hydromellis* ut concilietur activitas quædam.

Supeditata ergo copia liquorum dictorum, secunda indicatio est, cruſtas Aphtharum diſponere in facilem citumque lapſum; huic indicationi ſatisfaciunt liquores calidi, laxantes, emollientes, detergentes, & ſimul putredini quodammodo adverſi, præterea requiritur in his liquoribus dos illa ut non ſubito dilabantur, ſed diu adhæreant & vires ſuas melius experiantur partes obſeſſæ, tales autem ſunt decoctiones calidæ *fol. malvæ, althææ, parietar: verbaſci, mercurialis, alchymillæ, ficuum pinguium, ſucci bulborum, Raparum non decorticatarum* ne pereat vis abſtergens, addito melle, ſyrupo *althææ Fernelii*, & ſi metus ſit putredinis *acetum* addi poteſt ſed pauciſſima copia; ex dictis fiant oris Collutoria, Gargarismata quibus os internum aſſiduo humectetur, & ut partibus internis proſpiciatur, æger hanc decoctionem hauriat bibat; in hoc caſu convenit aliquoties dare Cremorem Lactis tepidum ad cochlearia aliquot, in his continuandum eſt donec Aphthæ deciderunt.

Aphthis itaque deciduis, tertia oritur indicatio, nempe ut excoriata demulceantur, & tenera roborentur; ſtatim enim poſt lapſum Aphtharum integumento ſuo ſubjacentes nervuli privantur, præſertim ubi tenacior fuerit morbus, hinc nervuli nimis acute ſentiunt, ergo ſtatim ſunt demulcendi anodyno molli, quod commode peragitur *Syrupo Papaver. Alb. Dyacod. Cremore Lactis*; ex quibus linctus fiat, qui diu & aſſidue in ore eſt continendus & obvolvendus, & ut interiora demulceantur fiat decoctum leve emolliens ex præſcriptis, cui addatur *Syrupus Papav. Alb.* demum & tenera ſunt roboranda, itaque in uſum vocanda ea quæ illis non nihil robur augent, fiat ergo decoctio *fol. recent. Agrimon. addito mell. roſar. vel. Syrup. roſar.*, qua os ſæpe eſt colluendum, interea ut & interioribus proſpiciatur, hauriat æger hanc decoctionem.

Aphthæ, quo copioſiores & graviores exſistere, eo major quoque læſio eſt, vaſcula enim tum ſunt plus extra tonum dilatata & conſequenter nimiam copiam liquoris ſtiliant, ubi febris eſt ſeda-

sedata, & Urina hypostatica, quæ sæpe in hoc morbi stadio quasi furfuraceas Aphtharum squammulas continet, si & pulsus sit liberior, tum novimus vias paulo ante obsessas, jam esse expeditas & liberatas, tum quinta oritur indicatio, quæ est ut effluxus liquorum corpus exhauriens summo cum periculo, sistatur per roborantia; ad hanc roborationem CL. SYDENHAMUS in usum revocabat *Cort. peruvian.* quam solam sufficere ad hunc scopum docet; conveniunt & hic decoctiones *Rad. Oxylapat.*, *Cort. Tamarisc. herb. Agrimon.* vel levissima decoctio *Cort. Granator.* vel infusio *Catechu*; hac vel simili decoctione æger coluat os ut emissaria dilatata roboventur, & sistatur copiosus salivæ vel & sanguinis effluxus in os & ut similiter emissaria dilatata primarum viarum roboventur, eadem decoctio propinetur, hauriatur ab ægro ut præveniatur vel saltem sistatur Diarrhæa, vel Dysenteria cruenta, quæ non raro Aphthas consequi solent.

Aphthæ ut in superioribus vidimus sæpe tanta multitudine Œsophagum, Ventriculum, Intestina obsident, ut nil certius sit quam quod squammulis earum jam deciduis maxime graventur primæ viæ; itaque oritur quinta indicatio, quæ postulat ut squammulæ illæ eliminentur ex corpore, per purgans roborans, ne vascula paulo ante roborata, denuo debilitentur; itaque hic convenit usus *Rhei barbari*, & *Myrobalanorum Citrin.* sine nucleis vid. CL. BOERHAAVE *Mat. Medic.* pag. 171. quæ duo prædita sunt vi mirabili purgante & demum adstringente.

Sæpe contingit, ut vidimus in superioribus, morbum hunc esse adeo gravem & validum ut partes subjectas eroderet ulcere sædo, imo aliquando Gangrænam post se reliquerit, hisce succurrendum est arte Chirurgica, juxta suam naturam, itaque huic operi supersedemus & imponimus huic specimini

F I N E M.

COROL.

COROLLARIA.

I.

*Tunica Ventriculi & Intestimorum Aphthosa
Lienteriam creat.*

II.

*Aphthæ & scabies magnam inter se habent con-
venientiam.*

III.

*Sanguis & cruor in robustissimis est densus,
lentus, blandus.*

IV.

*In morbo acuto inflammatorio, sanguis ex Vena
emissus aliquando est tenuis, dilutus.*

V.

Vomitum vomitu curari non ubique procedit.

AD

Præstantissimum Doctissimumque

JUVENEM

JOANNEM KNEPPELHOUT,

Cum post Dissertationem Inauguralem publicam de
Aphthis summis in Medicina honoribus &
Privilegiis decoraretur.

*Siccine post varios me deseris usque Labores
Non unquam votis jam revocande meis!
Deseris, o lateri comes indivise tuorum!
Parsque sodalitii non inhonora mei!
Deseris, heu, quem Leida tuis adjunxit amicis,
Cui sæpe in studiis dulce Levamen eras.
Haud tamen invideo, quamvis mihi triste, recessum,
Sorte vel in Patria nobiliore frui.
Post exantlatos studiosa mente Labores
Jam mercede decet muneribusque frui.
Nascenti puero quoniam risere Camænæ,
Non fuit ingenio Pallas iniqua tuo.
Docte vir, æternum peperit cui Laureæ nomen,
O Juvenum Princeps! quis tibi digna canet?
Eloquar an sileam? cum sit mihi curta supellex,
Pieridum pleno nec datur ore loqui.*

D

Cum

*Cum tam prudenter scrutaris semina morbi
Materiem vastam persequerisque brevi.
Ardua moliris, Sophocleō digna Cothurno,
Quæ tam prudenti sunt bene capta manu.
Est aliquid, veras morbi cognoscere causas,
At tua per præcepta gloria vadit iter.
Ferte Triumphales, sic postulat hora, Coronas,
Quotcunque Aonium continuere nemus.
Sic is, fraterno mihi junctus amore sodalis,
Cujus & in multis vera probata fides,
Splendescens Titulis, Lauroque decorus honesta,
Ad Patrios saluus gaudeat ire Lares.
Et vitæ tandem satur, & maturior annis,
Conscendat rutili sidera celsa Poli.*

P. VINK.